

448

446

452

442

457

437

497

397

547

347

Ende

Anfang

437

familiaris factus cognovit criminaliter, quas voluit, et eodem tempore XVIII gravidavit. Si ita sit nescio, nec multum adverti; hoc tamen cogitavi, hunc alterum Priapum fuisse, quem infestum Vestalibus virginibus fuisse antiqui tradidere, et conabatur, etiam ipsam Vestam perpetuae virginitatis voto constrictam corrumpere, quia Ovidio teste

Nitimus in vetitum semper cupimusque negata,

Virgines ergo et moniales, eo quod cautiore serventur custodia, libidinosi appetivere ardenter. Similis hic fuit stuprator sacrilegus Jovi, de quo dicunt poetae, quod nobilissimas Solis filias pedibus suis supposuit; et iste Christi, veri Solis filias, dehonestavit. Est etiam ista bellua marina piscator iste, quam Nettunus, deus maris, contra Trojam misit, quibus Apollo consuluit, quod omnes nobiles virgines belluae traderentur, quae easdem devoravit, nec civitatem vastavit. Verum istae moniales multum fuerunt dissimiles illis, de quibus habetur P. I. Fol. 230 B.

Ab hoc monasterio navigavimus consequenter per Carentum et ad maris finem pervenimus ad littus Margeri. De navi autem ascendi super limbum sive marginem maris conversusque ad mare Deum benedixi et mari valefeci cum multa jocunditate pro eo, quod Deo protegente et maris fluctibus imperante integer, vivus, et sanus evasi per tanta ejus pericula. Optavi tamen mare protendi usque ad muros civitatis Ulmensis, quia jam maritima profectione assuetus terrestrem quodammodo abominabar et equum ascendere magis formidabam (b) quam navem. Propter beneficia ergo mihi Deo jubente a mari praestita libet me ipsum per ejus generalia beneficia circumagere paululum, antequam ab eo recedam, non enim censeo, me parva bona a mari accepisse, sed plura, quam evagatorium totum contineat.

De maris commendatione.

Sunt tria maria sibi manifeste cohaerentia, scilicet oceanus, Pontus Euxinus et mediterraneum. Alia maria, ut mare Indicum cum finibus suis Arabico et Persico, et mare rubrum et Hyrcanum sive Caspium, efflunt quidem ex oceano non apparentibus gurgitibus, scilicet ubi effluent vel cui mari influant.

